

brachii charitatis amplexari. Dulce siquidem mihi erit, si moriens inter ulnas domini mei videar obdormisse, si me ad presentiam superioris Domini vestra morientem gratia prosequatur. Hoc est quod omnibus hodie negotiis expeditus, misericordiam ipsius frequentibus suspiriis implorare non cesso, quatenus post praesentis regni gubernacula quae tenetis, eterni regni gaudia vobis largiatur, meque vobis tanquam vernaculum vestrum jubeat miseratus adjungi. Vivat dominus meus, et omnem semper invidiam gloriosus excedat. Scio meminisse vos, quia sermo bonus de mera sinceri cordis veritate processit, quod me deinceps semper benignus auditum, nec repulsam a vobis moderata precatio reportaret. Magnum hoc reputavi sed maximum, nec me tamen iprobum liberalis missio faciet exactorem; sed cum hilari semper verecundia suppli-

A capo. Ne vero tardium prolixitas epistole generaret, quae postulo nuntio viva voce vobis indicanda commisi. Pauca quidem et parya sunt, si ad Domini mei excellentiam referantur, sed mihi maximum erit, quidquid de propitia domini mei liberalitate proveniet.

CXXXI.

EXCUSATIO CUIUSDAM EPISCOPI.

Temporis brevitas, improvisa vocatio, transitus suspecti, improba prædonum molestia, medicamenti sollicitudo adhibita, excusabiles paternitati vestrae nos reddunt. Electioni vero factæ et consecrationi facienda benignum ex affectu prebemus assensum. Quoniam quidem persona et moribus pollet, et industria viget, et scientia floret, credimus quod in domo Dei plantata adjutrice Divinitate florebit et faciet fructum.

ARNULFI LEXOVIENSIS EPISCOPI SERMONES.

I.

SERMO HABITUS IN CONCILIO TURONENSI.

PREFATIO ad AEGIDIUM Rothomagensem archidiaconom. — Sermonem habitum in concilio Turonensi scripto tradere, quorundam precatione compulsus sum, qui licet in proximo consistentes, ea quæ dicta sunt multitudinis obstante tumultu, nec satis audire, nec intelligere potuerunt. Feci quod rogatus sum, sed invitus, quia quædam sunt quorum simplex pronuntiatio plus favoris, quam laudis diligens inspeccio promeretur. In his enim quæ in commune dicenda sunt, communis conuenit intelligentiae (52) deseruire, ut omnia quæ dicuntur omnium statim capiat intellectus, ideoque verbis prope communibus decurrit oratio, ne subtilius artificium lucem rerum et verborum, quasi nube quadam difficultatis obducatur. Et quia tractatus ejusmodi ad movendos plerumque destinatur affectus, oportet quasi cæsus frequentibus, et brevioribus articulis incitare sermonem, ne longioribus periodis torpescat oratio, sed animus velut interpellatione commotus assurgat. Si igitur animus ad aliquid intellectu disponente movendus est, sermonis prorsus est observanda serenitas, quoniam tenebrae plus semper odii contrahunt quam favoris, saepiusque pes incidentis offenditur, nisi prævio dirigatur aspectu. In his vero quæ scribuntur, videntur quasi cum fiducia

C quadam regentium provocari judicia, nec tam formandis affectibus verba componi, quam examinationi publicæ, quæ palam proponuntur exponi. Siquidem in his quæ proponuntur oculis frequens celebratur inspectio, et modo fructus sententiarum, modo cultus orationis exquiritur, ut spatiose possint merita studiorum adhibita rationis aestimatione pensari. In aliis vero discussionis moram (53) celeritas pronunciationis excludit, ubi currentis linguae lubricum vix celeri etiam consequimur (54) intellectu, et saepè quod incitatius dicitur, desideris vehementius excitat, et informat affectus. Super quo non videbantur mihi in scripturam redigenda quæ dicta sunt, sed sicut tanquam ex tempore dicta sunt, ita statim cum tempore preterirent, quoniam eis cum dicerentur gratiam potius ministravit occasio, quam cujuslibet peritiae facultatis. Tempore siquidem schismatis agebatur quod in diebus istis, maxime adversus libertatem Ecclesie Dei, sæcularis potentia firmavit audaciam: ideoque nos diligentius de unitate et libertate tractavimus, ut animos eorum qui aderant ad insistendum consolatio firmiores redderet, et ad resistendum exhortatio fortiores. Lege itaque, adhibita tamen dilectionis indulgentia qua cœpisti, ut scilicet imperfectum meum videant oculi tui, nec ad exactum quod legeris producatur examen, sed semper media benignius æquitate cognoscas.

(52) C., diligentia.

(53) B., morem.

(54) B., consequuntur.

SERMO.

Hodiernum sermonem, domini et Patres mei, mihi domini nostri qui præsedit, Romani videlicet pontificis, injungit auctoritas. Et ego quidem manus injunctum magis de necessitate obediuntæ, quam de animi voluntate suscipio. Mallem ut in alium declinasset ista dignatio, cuius et vita commendabilius esset, et major tam scientia quam eloquentia plenitudo. Quis enim ego sum, qui in auribus tot, tam prudentiæ, tam venerabilium personarum quilibet mihi debeam usurpare sermonem? Sed et quis ego sum, qui mandato Romani pontificis audeam obviare? Angustias mihi sunt undique. Inter verecundiam et necessitatem constitutus sum. Altera me monet ut sileam, altera quasi quadam violentia pertrahit ad loquendum. Obedientum enim est sine mora, sed verecundia linguam reprimit, obstruit intellectum, et a facie reverentiae vestrae stupore quadam reddit pavidum et confusum. Scio enim quia tria solent in prædicatore requiri, sanctitas conversationis, plenitudo scientiæ, secundior eloquentiæ vena. Sanctitas conversationis inquiritur, quia nisi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit ejus prædicatio gratiosa. Cujus enim vita contempnitur, restat ut ejus prædicatione contemnatur. Timere enim habet né forte incipiente loqui statim vox divina reprimat, et condemnet: *Quare tu narras iusticias meas, qui proiecisti sermones meos retrorsum?* (Psal. XLIX.)

Perfectio scientiæ queritur, ut habeat prædicator unde possit de thesauro cordis sui proferre nova et vetera, et eruditum noverit expectantibus explicare sermonem, et secundum personarum qualitates temperare, quod dixerit, ut sciat quibus debeat lac potum dare non escam, quibus solidiorem cibum habeat ministrare. Eloquentia desideratur. Ad quid? Quia sicut si non habuerit scientiam, non habebit quid dicat, ita nisi habuerit eloquentiam, non habebit quo modo dicat. Utrumque autem necessarium est, et habere quid dicas, et scire quo modo dicas. Sententiæ siquidem excellentia sermonis elegantiam querit, ut verborum dignitas rerum majestati respondeat, et sibi invicem quasi concantu quodam res et verba concurrant. Ita est ut sermo prædicatori omni acceptione dignus sit, requiratur in prædicatore religio ad reverentiam sermonis, scientia ad doctrinam, eloquentia ut commendet ad gratiam: Ut scilicet sermo sanctus sit, prudens sit, illustris sit. Ego vero qui vobis producor in medium, nihil habeo penes me, nisi conscientiam peccati, minorem scientiam, eloquentiam imperfectam. Et ideo opportunitius mihi fuerat silere quam loqui, pasci quam pascere, et aures vobis potius exhibere quam linguam. Nulla mihi in memetipso fiducia est, sed ad sanctitatem præcipientis, et merita vestra converto. Quibus intercedentibus, aliquid mihi fortassis argietur gratia illius qui dixit: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* (Ezech. ii). Os meum obedientia

A necessitate aperit, utinam gratia ejus per merita vestra sermone adimpleat opportuno! In omni itaque sermone, domini et Patrum mei charissimi, videtur mihi, quia circa id quod principaliter intenditur duo sunt studiosius observanda, causa scilicet et tempus. Et causam quidem ratio subministrat, tamen autem opportunum reddit occasio. Occasio autem est opportunitas sumpta ex tempore, sicut viro placuit eloquenti. Ita est. Nisi id quod dicitur causam ratione contrahat evidentem, ipsum ducitur otiosum. Si importune dictum fuerit, reputatur infestum. Quæ autem otiosa vel infesta sunt, raro desideratos assequuntur eventus. Et ideo cum multa de scriptis sanctis possent utiliter ac probabiliter in commune proferri, ad ea potissimum sermo convertendus est, ad quæ nos et urgens necessitas impellit, et evidens invitat utilitas. Ad quid? Ad tentandum vobiscum de unitate et libertate Ecclesie Dei. Sine his enim duabus non potest Ecclesia salva consistere, sed nec consistere quidem, quia nisi Ecclesia habuerit unitatem, non erit una. Si una non fuerit, non erit: omne enim quod est, ideo est, quia unum est; quod autem unum non est, amittit pariter cum unitate substantiam. Item, nisi habuerit libertatem, misera erit, pro eodem autem ei est miseram esse, et non esse, imo deterius est miseram esse, quam non esse. Melius, inquit, *ei era si natus non fuisset homo ille* (Matth. xxvi), de Iuda dictum est, quoniam melius erat ei natum non esse, quam ad ejusmodi miseriæ natum esse.

Ideo, domini et Patres charissimi, ut status Ecclesiæ conservetur incolam, oportet unitati ejus et libertati sollicite provideri. Utraque enim his diebus, bac tempestate, sicut nos miserabiliter experimur, multis urgetur incommodis, multis injurijs infestatur, quia alteram scindere nititur schismatis corum ambitio, alteram querit auferre violentia tyrannorum. Utrunque tamen eis per Dei gratiam impossibile erit. Impossible siquidem est, spirituale ecclesiasticæ unitatis scandere sacramentum, quod inter Christum et Ecclesiam, ipso Patre auctore, indissolubili scindere connexum est et frustatum. Impossibile est suam Ecclesie Dei tollere libertatem, quam Dominicæ sanguinis consecravit effusio. Licet enim paleæ de area Domini quandoque ventilabro levitatis aut vanitatis avolent et abscedant, propter abscessum tamen earum non minuitur fructus areæ, sed purgatur. Item, licet principes temporarum aduersus Ecclesiam Dei vehementer insurgent, portæ tamen iuferi aduersus eam prævalere non possunt. Ita, domini mei, salva nobis semper est unitas, salva semper est libertas Ecclesiæ, quia neque tunica inconsutilis scindi potest, neque Christi sanguis in irritum devocari. Et licet exierint a nobis aliqui qui nobiscum erant, sed de nobis non erant, non est sciata tamen veritas unitatis propter eos, quos separavit a nobis propria malitia pravitatis. Et licet ii quos diximus tyranni terrarum circa

temporalia bona, et ipsa etiam corpora nostra de-saviant, ut edant carnes nostras, infirmitur et cadunt. Et si circa diripiendas inutiles sarcinas occupantur, Ecclesia tamen Dei nihilominus quæ disponenda sunt libera potestate disponit; imo etiam ipsos, quasi servos nequam, spirituali potestate retrudit in carcerem, ubi eos nimirum, quasi compedibus quibusdam, vinculo anathematico, et opprobrio perpetuae maleditionis astringit. In quo etiam laudabile videtur operari virtus divina miraculum, dum nobis in unitate nostra et libertate degentibus, ipsi se solos ab unitate catholicæ separant, et detestandæ subjiciunt servituti. Nos tamen, charissimi fratres et domini, non debemus malum pro malo reddere, neque vinci a malo, sed vincere in bono malum: et ideo ad revocationem eorum qui foris sunt summa charitate dehebimus intendere, ut ipsi unitati nostræ possint, Domino miserante, connecti, quantum illi qui quietem ecclesiasticas libertatis impugnant, meliore ducti consilio resipiscant, et tam de revocatione eorum quam istorum penitentia crescat secunditas unitatis, et inconcussa servetur (55) desiderandæ tranquillitas libertatis.

Ad hoc scilicet omnem nos convenit diligentiam adlibere, omnem propter hoc sustinere vexationem, omne pericum experiri. Hoc enim speciale debitum nostræ professionis est: episcopi sumus. Ad hoc sacramentis ecclesiasticis sanctificari volumus, ditari beneficiis, honoribus illustrari. Ex ea etiam causa hic primas obtinemus in concilio cathedras, primos in cœnis recubitus, salutationes in foro. Ex eadem causa populorum nobis multitudines inclinantur, ut de manu nostra partem aliquam commissæ nobis benedictionis accipiant. Quærunt enim accipere de plenitudine nostra, quod nos accéppimus de plenitudine Christi. Hie ordo est: unguentum præcedit in capite; a capite descendit in barbam, barbam quidem Aaron: a barba usque in oram vestimenti defluxit. A capite, scilicet Christo, in barbam, scilicet prælatos Ecclesiæ; a prælatis in populum, in subjectos. In capite autem omnis perfectionis est pleitudo, omnis perfectio plenitudinis. In ipso enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Coloss. ii), solide scilicet et perfectæ. In ipso omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (ibid.). In ipso totus Spiritus Patris. Nihil ibi perfectioni detractum est. Nihil ibi plenitudini derogatum; et de plenitudine ista nos omnes accessimus, majores et minores. De plenitudine quidem, sed non plenitudinem ipsum, sibi enim plenitudinem reservavit. Circa nos autem divisiones gratiarum factæ sunt: *Unus autem est Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, non omnia in singulis; dividit enim singulis, prout vult (I Cor. xii).* Ubi enim vult spirat (Joan. iii), et quantum vult inspirat. Nos autem in medio constituti inter Christum et populum, privilegium gratiæ consecuti sumus, et prerogativam dignitatis adepti. Privilegium gratiæ,

A quia prius et copiosius nobis infunditur, quod a nobis in alios transfundatur. Prærogativam dignitatis, quoniam superiores et propinquiores sumus. Superiores, quoniam constituti sumus principes super omnem terram. Constitutes eos, inquit, principes super omnem terram (Psal. xliv). De apostolis dictum est: utique et de nobis, qui loca apostolorum minoribus re vera meritis, sed majoribus consolatiibus obtinemus. Qualis autem est hic principatus noster? utique sublimis et fortis. *Nimis, inquit Propheta, honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum (Psal. cxlviii).* Propinquiorcs sumus: amicos siquidem nos appellat, et ad argumentum propensioris amicitiae indultam nobis, non partem sed copiam totius familiaritatis ostendit.

B Jam nou dicam, inquit, vos servos, sed amicos meos, quia omnia quæ auditi a Patre meo nota feci vobis (Joan. xv). Verum est. Nobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et auditentes non intelligant (Marc. iv). Nos habemus oculos intuendi, et aures audiendi. Multæ et magnæ sunt circa nos dignationes tue, bone Jesu, multa et inastimabilia beneficia tua. Gratia tua ultro nos prævenit et subsequitur, nihil aut parum est quod meritis nostris arrogare possumus, cum tu gratiam per gratiam semper effusa munificentia largiaris. Quid ergo retribuemus tibi? Quid retribuam, inquit, Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? (Psal. cxv.) Quæreret sibi restituiri? quæreret revera, quoniam gravis etiam exactor est. Non convenit debitorem suum in sortem tantum, sed etiam in usuras. Quare, inquit, non posuisti pecuniam meam ad mensam, ut cum redirem utique, cum usuris eam exegisset a te? (Luc. xix.) Quia ergo sibi retribui quæreret, consulamus Prophetam, quid tantæ majestati digne possit in causam retributionis offerri. Expedit nobis ut qui nos de qualitate nostri principatus edocuit, nihilominus de quantitate retributionis edoceat. Oportet enim ut quod nomine retributionis offertur, ad honorem cedat, acedat ad gratiam, alioquin non parit gratiam, sed offensam. Audiamus ergo quid dicat: *Constitutes eos principes super omnem terram (Psal. xliv).* Ecce meritum ejus circa nos, quid autem sibi retribui quærat, consequenter adjungit: *Memores erunt nominis tui, Domine (ibid.).* Memoriam nominis sui tantum sibi quæreret nomine retributionis offerri. Cujus nominis? nempe multa nomina habet. Habet quedam nomina de Veteri Instrumento significationis absconditæ, habet quedam ad Novum specialius pertinentia Testamentum, suavitatem redolentia, exhibentia gratiam. Quæ, quamvis constet originem traxisse de Veteri, plus tamen celebritatis et frequentia de præsenti novitate sumpserunt. Quæ sunt illa? Jesus Christus: Jesus interpretatur salvator, Christus unctus. Ubi unctio, ibi suavitas; manifeste nomen istud Christus suavitatem redoleatunctionis; Jesus salutis gratiam repromittit. Credo

(55) B., servietur.

tamen quod in hoc loco Propheta attulit nomen querat intelligi, quoniam nonnulla illa propter suavitatem et gratiam, devotionem quidem et fiduciam praestant: hic vero alterius cuiusdam nominis memoriam querit, cuius severitas nobis cautelam diligentiae, et timorem reverentiae donet. Quod est illud? Deus. Deus interpretatur *timor*. Ipse autem in hoc loco timentes esse nos exigit et prudentes. Commisit enim nobis haereditatem suam, quam nisi timentibus non committit. *Dedisti*, inquit, *haereditatem timentibus nomen tuum, Domine* (*Psalm. lx*). Haereditas autem ejus illa est, quam ipse a patre merito et postulatione passionis accepit. *Postula*, inquit, *a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam* (*Psalm. ii*): haereditas autem haec universitas fidelium est, quae nomine censetur Ecclesiae, quae catholicam continet unitatem. Hanc fideli nostrae credidit, hanc sollicitudini commendavit. Ad curam igitur et custodiam ejus cum omni timore omnem nos oportet diligenter adhibere. Nulla nos absterrere debet comminatio, nulla persecutio retardare (*58*); quin sis semper in omni opportunitate sua fideliter occurramus et divinum in spe, quae non confundit, amplectamur auxilium; quia non est nobis in terra Victoria, cum sponsus ejus debellator scilicet omnis aeriae potestatis Christus ipsius propugnator sit ad salvandum. Qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus per secula. Amen.

II.

SERMO DE EODEM.

Ilesterno sermone, domini et Patres charissimi, vobiscum de unitate Ecclesiae Dei et libertate tractatum habuimus, ad id omni studio principaliter intendentes, ut bona et sancta voluntas vestra divini sermonis exhortatione inter adversa reddatur alacrior et de agnitione divinae protectionis et gratiae insolubilis nostrae invicem fraternitatis proficiendi semper in melius fiducia convalescat. Fratres siquidem sumus ex eodem Patre Christo, et ex eadem matre Ecclesia, per regenerationem aquae et spiritus de filiis irae translati in adoptionem gloriae filiorum Dei (*Ephes. i*). Bonum itaque est, quia utile; secundum, quia delectabile: nos hac spirituali fraternitate coniunctos, in unitate consistere, ut sit scilicet nobis, sicut in priuiliiva Ecclesia, multitudini credentium cor unum et anima una. Sit in nobis unus spiritus, una fides. Unitas enim fidei concordiam parit. Concordia mater est unitatis. Unitas vero fidei tribuit libertatem. Ex fide siquidem vita nobis et Victoria est. *Justus enim, inquit, meus ex fide virit* (*Rom. i*). Et haec est Victoria quae vincit mundum, fides nostra. Sed et sancti per fidem vicerunt regna; regnum Satanae, regnum mundi, regnum celorum. Et de regno quidem mundi et regno Satanae manifestius;

(56) *Omnia quae vocem retardare sequuntur, usque ad Hom. ii, p. 10, l. 12, convalescat, om. B. et duas homiliae unam faciunt. At pro omissis post retardare habet B sequentia: Paricipes consolationum faciuntur. Justum est ut socii simus etiam tribulatio-*

A sed et regnum eandem vim patitur, et riedovi rapient ihud (*Matthew. xi*). Ita omnia regna unitas fidei, et fides unitatis expugnat. Tolis itaque studiis debemus insistere, et alter alterum cohortari, ut stemos simul; quia si steterimus simul, alteri ab altero plus fiducie et virtutis accrescit. Si steterimus simul, adversariis nostris non tantum resistere poterimus, sed et cum fiducia provocare. Si steterimus simul, Ecclesia Dei apparebit terribilis, ut castrorum acies ordinata. *Stemus*, inquit ille propheta, *stemus simul*. *Quis est adversarius meus? quis contradicit mihi?* accedat ad me (*Isa. i*). Quia aliquem sibi senserat fideliter assistentem, cum fiducia loquebatur. Nos quoque, domini et Patres mei, habemus aliquos nobis fideliter assistentes: habemus enim assistentem nobis gratiam civium supernorum, habemus assistentia nobis merita et orationes vestras, habemus assistentem nobis fidem et devotionem catholicorum regum, qui unitatem catholicam nobiscum et verbo proflentur, et operibus exsequuntur; omnes fore quicunque censentur nomine Christiano. Comparatione vero tantæ multitudinis, modica est unius exceptio. Unus siquidem excipitur, et ipse solus. *Vae autem soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem* (*Ecclesiasticus. iv*). Sed et ipse per misericordiam Dei convertetur et vivet, quoniam ipse est inter principes terræ multa prudentia et virtute laudabilis, nisi gloriam suam divinæ gloriae præponere decrevisset. Utinam humilietur sub potenti manu Dei, et principatum Ecclesiae suo praesesse principatum recognoscatur, utinam intelligat quia si Christum, sponsum scilicet Ecclesiae dominum constitetur, necesse habet et Ecclesiam que sponsa est nihilominus dominam confiteri. Præterea specialem causam habet, qua sanctam Romanam Ecclesiam dominam recognoscere debet: alioquin manifestissime poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurrantibus historias, certum erit prædecessores ejus imperium non de alio jure, quam de sola sancta Romanæ Ecclesiae gratia percipisse. Nihil, igitur plus juris vindicare principes possunt, quam quod in eos contulit dignatio largientis. Præterea habemus assistentem nobis etiam Christum. Neque enim Ecclesiam ea nobis conditione tradidit, ut relinqueret: semper assistit. *Non relinquam, inquit, vos orphanos, vado et venio ad vos* (*Joan. xiv*), vobiscum usque ad consummationem saeculi permanens. *Adjutor itaque et protector nobis est in salutem* (*Psalm. xxxii*). Cum adjutorio itaque tot assistentium nobis nulla nos debet absterrere comminatio, nulla persecutio revocare, immo stare debemus ex adverso, et opponere nosmetipsos murum pro domo Israel. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum,*

num. Ex adverso stare nos convenit, et opponere nosmetipsos murum pro domo Israel. Quod sane nobis non facile quidem, sed possibile tamen erit, si constanter in unitate catholicâ consenserimus permanere. Porro fratres sumus ex eodem patre, etc.

ut possit̄e ex̄st̄inere (*I Cor.* x). Imo etiam ad confi-
dentiam victor̄e obtinend̄e suo nos invit̄at exemplo.
Confidite, inquit, *ego vici mundum* (*Joan.* xvi). Si
semel vicius est, non erat invincibilis mundus; si
filius nobis erit victoria victum vincere quam in-
victum. Christus vincendum aggressus est, et de-
vicit. Diccebatur aliquando: *Vide, Domine, et con-
sidera, quoniam erectus est inimicus* (*Thren.* i); nunc
autem dicitur, quoniam dejectus est inimicus. Fidu-
cialiter aggredi possumus jacentem et victum; quia
si dejectus est, non resurget; si vicius, non prae-
sumet. Nulla ipsius ex hoc nunc resurrectio, vel prae-
sumptio pravalebit. Timeo tamen, ne aliquis forte
submurmuret, pr̄sumptuosum dicens æmulari tantæ
perfectionis exemplum. «Facile, inquit, erat Christo
mundum vincere, qui creaverat mundum.» Om-
nipotens enim nomen ejus, cui idem est et volle
et posse: mihi non ita, *quoniam infirmus sum, et
conturbata sunt omnia ossa mea* (*Psal.* vi). Omne
scilicet robur naturæ meæ peccati corruptione
est concussum, et ideo substantia mea tanquam
nihilum coram ipso. Sed nequaquam domini et
Patres mei, diffidendum, nequaquam desperandum
est, quia, sicut verba Christi nobis ad doctrinam,
sua opera proponuntur ad formam. Et sicut per do-
ctrinam impossibile nobis est scientiæ illius plen-
itudinem obtinere, ita per exempla ad æqualitatem
virtutum ejus non poterimus pervenire. Sed, licet
attigere non valeamus eminentiam majestatis, pro-
flicere tamen poterimus ad antiquam saltem simili-
tudinem sanctitatis. Proderit imitari, etsi nemo
valeat adarquari. Citra perfectionem ejus subsistit
nostra perfectio. Prosequi debemus, etsi consequi
non possimus. Non eisdem passibus, sed eodem
trahite, eisdem est vestigiis insistendum. Quod si
aliqua etiam de hominibus exempla querantur,
multos homines victores mundi poterimus invenire.
Videamus Apostolum, hominem scilicet peccato-
rem, sicut et nos, non quantum nos, qui dicat se
minimum apostolorum, et indignum vocari aposto-
lum, quoniam persecutus est Ecclesiam Dei: *Bo-
num*, inquit, *certamen certavi, cursum consummavi,
idem servavi: de cætero reposita est mihi corona
justitiae* (*II Tim.* iv). Certavit Apostolus, de certa-
mine victoriæ, de victoria consecutus est coro-
pam. Cucurrit et consummavit cursum, ideoque
bravum assecutus est. Idem bravum, quod corona,
Tu autem quis es qui queris coronam sine victo-
ria, sine concertatione victoriæ? Impossibile est
de facto, sine concertatione vicisse. Improbabile
est de jure coronam, sine victoria postulare. Ne-
que enim coronabitur nisi qui legitime certaverit (*II
Tim.* ii). Lex autem certaminis perseverantia est.
Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salva-
trit (*Math.* xxiv). Idem profecto salus, quod bra-
vum et corona. Amplius si major vobis de homini-

A bus placeat pluralitas, exemplorum infinita fero
martyrum millia nobis occurrent, qui ad certamen
istud toto desiderio occurrerunt, et denum victo-
riam cruentam quidem, sed tamen cum letitia et
gloria percepérunt. Nunquid non ibant apostoli,
gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti
sunt pro nomine Iesu consumeliam pati? (*Act.* v.)
Nunquid non Stephanus inter lapides ipsos pro
lapidantibus supplicat et exorat? (*Act.* vii.) Nun-
quid non (57) Petrus et Andreas de cruce prædi-
cant veritatem? Nunquid non Laurentius de cruci-
cula tyranico Iætabundus insultat? Nunquid non
carnifices ipsos ad equuleum prævenire invincibilis
Vincentii fortitudo festinal? Sed, etsi de insirmitate
sexu queratur exemplum, Agathes lætissime et
gratulanter ibat ad carcereum, et quasi ad epulas
invitata, agonem quam Domino præcibus commendaba-
bat. Prius me deficiet dies, imo tamen longioris
anni spatium exspirabit, quam sanctorum victoriæ
plane valeant enarrari. Hi revera fuere viri fortes,
et ad bella doctissimi, qui humilitate superbiam,
tyrannidem patientia devicerunt. Ceterum beni-
gnus agit cum insirmitate nostra misericors et
miserator Dominus. Ipse enim conscientius est insirmit-
tatis nostræ, utpote qui novit segmentum nostrum.
Tolerabilem itaque facit patientiam nostram.

Revera, sicut dictum est, facit cum labore pro-
ventum. Nulla ergo adversum nos veteris sævitia
commenta procedunt, imo etiam sustinemur (58)
In equis et curribus ambulare, in magnis quando-
que et mirabilibus super nos epulari quotidie (59)
splendide, pretiosis indui honoribus, et divitias
abundare. Paupertatem Christi verbo prædicamus,
sed minus exhibemus exemplo; nisi quia fortasse
paupertatem ejus in nobis spiritualiter divitiarum
contemptus et humilitas sancta restaurat. Neque
enim requiritur a nobis divitiarum indigentia, sed
contemptus. *Dixit*, inquit, *si affluant, no[n]ite cor
apponere* (*Psal.* lxi): non dixit ne affluant, sed ne
cor apponatur. Porro cor prohibuit apponere, sed
non manum. Profecto Propheta in omni affluentia
divitiarum pauperem se prædicat et egenum. Pos-
sumus itaque licet divitias possidere, si tamen
earum nos non reputaverimus dominos, sed mi-
nistros; si intellexerimus patrimonium pauperum
esse patrimonium Christi, si preventibus Ecclesiæ,
si pauperum necessitatibus erogantur. Alioquin
fures et latrones nos ratio manifesta convincet, si
res alienas in ipsis dominis nostro præsumperimus
arbitrio contrectare. Quia igitur distribuendæ sunt,
non retinendæ divitiae, nequam justus, nequam
possunt liberalius erogari, quam in eos qui exsu-
lantem Ecclesiam prosequuntur, qui propter causam
Christi rerum suarum dispendia pertulerunt. Causa
communis est, sed in eos omne detrimentum, om-
nis est conversa vexatio. Nos enim intra domesticos

(57) B. om. non.

(58) B. sustinemur.

(59) B. om. quotidie.

parishes nostros tribunalia nostra sublimiter insidentibus, ipsi de sedibus suis contumeliose et violenter ejecti peragrant regiones. Nobis omne solatium cum affluentia divina pietas administrat, ipsi de manibus alienis subcidia vite cum silentio patienter exspectant. Nobis necessariorum nostrorum et familiarium ordo longus assistit. Ipsi inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Si quam tamen eis consolationem emendicata suffragia praestiterunt, indignum est ab eis beneficia querere, quibus tu consueveris exhibere. Aperiamus itaque eis viscera pietatis, et in eos omnem compassionis et veneracionis effundamus affectum, ipsosque cum omni beneficentia et gratia complectiamur, quia tunc adimplebimus legem Christi, si alter alterius invicem onera portemus. Viri prudentes sunt et multa commendabiles honestate, quos Dominus elegit, tanquam aurum in fornace probando (Sap. iii), ut per eos impendio personarum et rerum, Ecclesiae Victoria consummetur. Felices sunt quibus datum est pro aeternis, transitoria commutare. Feliores sunt qui mortem vel corporales injurias sunt experti, et impreiabilis sanguinem Christi suo indigno et corruptibili sanguine compensarunt. Quid enin? Nunquid non (60) sanguinem Christi in causam nostrae redemptionis expendimus, ut ipsum ei in tempore retributionis, scilicet cum ipse requisierit, solveremus? Mutuatus est peccator, et non solvet (Psal. xxxvi): nos autem, Domino miserante, solvemus, qui contentur nos non artificio civili, sed re ipsa interveniente naturaliter obligatos. Utinam, bone Jesus, detur et mihi tecum pro spiritualibus tuis temporalia mea commutare. Utinam sanguinem meum tibi pro tuo recipere placeat insolulum, vel quia crediti et debiti sanguinis, scilicet tui et mei, invicem aetimatio non concurrit, saltem benignissima acceptatione tua liberatus absolvatur, qua scilicet consuevisti justitiam accepto ferre sine operibus, et præmia sine meritis, pro gratia scilicet bonæ actionis gratiam retributionis inferre.

III.

SERMO IN THRONO.

Quis putas fidelis seruos et prudens, quem constituit dominus super familiari suam, ut det illis ribum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit vigilantem (Matth. xxiv). Ecclesia, sicut nos, fratres charissimi, congregatio fideliuum dicitur. Fideles autem sunt, qui censerunt nomine Christiano, qui scilicet de agnitione fidei catholicae Christiani nominis contrahunt dignitatem. Fides enim ista de Christo et a Christo est, ideoque Christiana de nomine proprii nuncupatur auctoris: catholica vero id est communis, tam propter precepta generalium regulorum, quam propter uniformem in omnes aeternæ retributionis eventum. Neque enim fides ista jam

(60) B. om. non.

A vel certis est consignata persona, vel quibuslibet locorum coarctatur angustiis, sed ab oribus quod perierant domus Israel in omnes gentes veritatis doctrina transfusa est, postquam scilicet in omnem terram sonus apostolicæ predicationis exivit (Rom. x). Per hanc ergo fidem purgatis ignorantie tenebris, et veterum detersa caligine figurarum, misericors et miserator Dominus Ecclesiam suam sic notitia veritatis illustrat, ut operibus nihilominus charitatis informet, quatenus procedente gratia ci se ad complexandum indulget, et exhibeat ad videndum. Ad hoc eam de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, ad hoc eam secum assumpsit in ejusdem corporis unitatem. Ad hoc eam de scrupulo corruptionis, proprii quoque sanguinis impendio liberavit. Ilsa enim pretium sanguinis ejus est retributio passionis, gloria majestatis. Quod enim assecutio hereditatis istius ei cedat ad gloriam manifeste, de ipsius congratulatione suscepimus, quia in susceptione ipsius a patre eam studiosius commendat, et etiam latabundus exultat. Funes, inquit, ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi (Psal. xv). Præclara est, quoniam pulchra et decora est. Pulchra, quoniam tota pulchra est, non habens maculam neque rugam (Ephes. v). Cujus claritatis et pulchritudinis quantus ipse zelator sit, ipsa etiam nominum multitudo, quibus eam frequenter appellat, evidenter ostendit. Nempe multitudine nominum multitudo charitatis exprimitur. Neque enim uno nomine contentus esse potuit, ut in ea diversitatem virtutum distinguaret, et in se circa eam totum dilectionis aperiret affectum. Modo itaque eam elecam, modo dilecam, modo sponsam nominal, aut reginam, multisque aliis nominibus que spiritualibus sunt plena mysteriis, et sacris significationibus illustrata. Ego tamen ad præsens paucis esse contentus decrevi, quia sapientibus loquor, quibus plenus quam nihil iunotuerunt nomina et nominum sacramenta. Electa dicitur. «Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum.» Electa dicitur, propter virtutum eminentiam, qua præcellit. Thronus autem isto qui in ea constituendus dicitur, Altissimi thronus est, qui non potest nisi in eminentia collocari, quia ipse est qui in altis habitat, in eo etiam in altissimis: *Ego, inquit, in altissimus habito, et thronus meus in columna nubis (Eccl. xxiv).* In altissimis habitat, quoniam cœli cœlorum sedes est habitatio ejus. Supra tertium etiam cœlum invenitur a Paulo (II Cor. xii). Thronus autem hic in columna est, quia sicut columnæ ardua et subtilis est, sic ardua et angusta via quæ dicit ad vitam (Matth. viii): vita vero Christus. Ceterum quod thronus iste constitutus in nube dicitur, diligenter attendendum est. Nunquid non (61) enim ipse inhabitat lucem inaccessibilem? (I Tim. vi). Nunquid non ipse est lux vera, quæ illuminat omnes?

(61) D. om. non.

Hominem venientem in hunc mundum? (Joan. i). *Lux scilicet perpetua, quæ lucebit sanctis Dei, quia fulgebunt sicut sol in regno Patris ejus* (Matth. xiii). *Sed et thronus ejus, sicut sol in conspectu Patris. Revera lux est, et lucem inhabitat.* Sed inter nos et lucem illam ad præsens nubes interposita est, quæ non permittit nos eam perfecte his quos modo habemus oculis intueri, imo nobis *nubes et caligo in circuitu ejus* (Psal. xcvi). *Videmus tamen aliquatenus, sed per speculum, sed in ænigmate* (I Cor. xiii), sed interpositis corporalibus instrumentis. *Visibilia enim quæ ab ipso creata sunt, quasi speculum, quasi instrumenta nobis sunt, per quæ quodammodo possimus ipsius invisibilia contemplari.* Invisibilia siquidem ejus per ea quæ facia sunt, ab eo conspiciuntur. Videbimus autem, Deo volente, perfectius in futuro, quando *videbimus eum sicut est* (I Joan. iii), quando cognoscemus sicut et cogniti sumus, quando scilicet regem in decore suo videbunt brevi nostri, quando transformabimur a claritate in claritatem, sicut a Domini spiritu (II Cor. iii). Quod mibi video ut desiderasse Propheta, cum diceret: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Domini?* (Psal. xli), quasi diceret: *Video aliquantulum, sed objecta est mibi nubes, interpositum velum, non video nisi interpositis corporalibus instrumentis.* Vellebimmo hæc omnia removeri, ut videarem facie ad faciem, et appareret mibi Christus vita mea, et ego apparerem cum ipso in gloria. Item, dilecta dicitur, quia diligit et ipsa, neque enim diligenter, nisi diligeret, ipse enim nisi diligentes se non diligit. *Ego, inquit, diligentes me diligio* (Prov. viii). Prævenit tamen diligendo, quoniam ipse prior dilexit nos, sed ad hoc diligit, ut faciat diligentes. Nisi enim qui diligit mutua ei dilectione respondeat, divinæ revocatur dilectionis affectus. Verum quanta inter ipsum et diligenter se discurrat alternae charitatis affectio, difficile nobis, imo impossibile est explicare, quoniam nec ipsius Salomonis sapientia id perfecte nobis enarrare potuit, licet diligentissime fuerit prosecutus inter eos modo complexus et oscula, modo aromata et unguenta, modo languorem spiritus, modo animæ defectum, modo ferventem curiosæ temptationis zelum, modo delicatum teneræ compassionis affectum. Quæ omnia mihi satis est breviter attigisse, quia religio vestra hæc intra vosmetipsos plenius per ipsa spiritualiter experimenta cognovit. Tertium nomen est quod posuimus, quod sponsa dicitur: *Nullo alio nomine manifestius exprimi potuit inter eos sacramentum unitatis, et sinceræ perfectio charitatis.* Quæ enim verior unitas et charitas est quam duos in carne una fieri, et ipsos uno eodemque spiritu vegetari? Quoniam ipse ab ea in unitatem ejusdem carnis, et ipsa ab eo in unitatem ejusdem spiritus est assumpta. *Erunt itaque duo in carne una* (Gen. ii). Profecto Christus et Ecclesia. Nempe *Verbum caro*

(62) B., ejus.

A factum est (Joan. i). Sed et totum corpus Ecclesie spiritu Christi vegetatur et regitur. Prudenter negotiata est Ecclesia, carnem dedit, ut acciperet spiritum, et ipse animatum corpus assumens, largitus est nobis suam deitatem. Fœdus hoc in persona Christi celebratum est, quando scilicet cum humanitate divinitas, et cum divinitate convenit humanitas. Sponsalia hæc ibidem, auctoritate Patris et sancti Spiritus obumbratione firmata sunt. Nec enim adhuc nisi sponsalia sunt, nondum celebratæ sunt nuptiæ, nondum matrimonium consummatum. Porro complebuntur omnia in futuro, cum sponsus advenerit, et intrabunt qui parati inventi fuerint cum ipso ad nuptias, imparatus excludentur. Qui vero ad agni nuptias fuerint introducti, ibi epulabuntur in conspectu ejus, ibi delectabuntur in lætitia (Psal. lxvi), ibi inebriabuntur ab ubertate domus ejus, ibi torrente voluptatis sue potabit eos (Psal. xxxv). Ibi qui modo vacui sunt, replebuntur in bonis domus ejus (Psal. lxiv), et qui inanes satiabuntur (Psal. cvi), quoniam apparet gloria ejus (Psal. vi). Ibi sponsa coronam accipiet, quam ei Dominus preparavit in æternum. Unde etiam regina vocari digna est. Jure id quidem, quoniam sponsa est regis: *Christus enim rex est, cuius ipsa sponsa est, et rex et filius regis.* Non habet regnum fortuitum, sed hæreditorum, quia de patre: Deus, inquit, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. Ad Patrem loquitur: Deus, inquit, Pater da regi, id est Christo Filio tui regis scilicet qui rex es, judicium et justitiam, potentiam scilicet et scientiam judicandi. *Justitia enim et judicium, præparatio sedis ejus* (Psal. lxxxviii). In his siquidem duobus consistit tota regis majestatis auctoritas, quia judicium per severitatem potentiae vindicat, quæ male commissa sunt coercet, ne iterum committantur. Punit siquidem excessus, et resernat audaciam. Justitia vero per discretionem scientiæ dirigit et informat. Informat ad virtutem, dirigit ad salutem. Pater itaque rex est, et Filius rex est. Pater rex alæterno, Filius nihilominus secundum divinitatem rex ab æterno. Unius ejusdemque regni non duo reges, sed unus rex. Christus autem secundum humanitatem rex factus est ex tempore, et Ecclesia ejusdem regni regina constituta est cum ipso.

Astitit, inquit, regina a dextris tuis (Psal. xliv), Christus ad dexteram Dei Patris, in posterioribus scilicet bonis gloriæ ejus sedere dicitur, propter quem consummatæ gloriæ quam accepit. Ecclesia a dextris Christi stare dicitur, non sedere, quia semper est in procinctu constituta. *Astitit regina a dextris ejus.* In hoc verbo videtur mihi propheta triplicem statum Ecclesiæ prospexit. Videtur mihi primo eam considerare stantem ad dextram crucifixi, ubi sibi (62) profluenta in salutem, de latere ejus sacramenta suscipit et observat. Erant, inquit, juxta crucem Jesu mater ejus et soror matris

ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene (*Joan. xix.*). Stabat et discipulus quem diligebat Jesus. Stabat Petrus, et alii fortasse fideles a longe prosequentes, ut viderent finem. Stabat et Centurio, manifeste protestans quia vere *Filius Dei erat iste* (*Math. xxviii.*). In ea paucitate lucis temporis tota fere universitas Ecclesie consistebat. Porro unus ex militibus lancea latus ejus aperuit, et continuo exiit sanguis et aqua (*Joan. xix.*): sanguis scilicet redēptionis, et aqua regenerationis. In his duobus omnium sacramentorum virtus et efficacia creditur emanasse. In fine etenim passionis et baptismatis ablutione salvamur. Qui enim crediderit et baptizatus fuerit, salutis erit (*Marc. xvi.*). Sanguis enim Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ad scriviendū Deo viventi. Sed et aqua quae visa est egredi de templo corporis Christi, a latere dextro, salvavit omnes ad quoscumque pervenit. Tres igitur testimonium dant in terra: *Spiritus, aqua, et sanguis* (*I Joan. v.*). Spiritus siquidem testimonium perhibet de Christo, quoniam *Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas* (*ibid.*). Nobis autem aqua et sanguis redditum testimonium ad salutem. Secundus autem status Ecclesie est a tempore resurrectionis Christi usque ad sæculi consummationem, quo tempore scilicet ipsa peregrinatur in terris, atque interim bona ista temporalia sobrie sibi in usus honestæ necessitatis assumit. Tota tamen spiritualiter in agnitione sacramentorum, in virtutum executione, in coelestium contemplatione consistit, atque ideo quodammodo stare videtur etiam in præsenti, quoniam spiritualia sunt hæc, et de beneficio ei divinae bonitatis induita, ut ei de perceptione præsentium munierum firma sit expeditatio futurorum. Porro tertius Ecclesie status consummatiæ omnibus complebitur in futuro, quando scilicet dextra ipsius amplexabitur eam, et æternæ beatitudinis plenitudo confovebit.

Astitit, inquit, regina a dextris tuis (*Psal. LIV.*). In hoc verbo regnum pluralitatem Christo et Ecclesie nolumus assignare, quia unum et simplex regnum est, quod Patri et Filio secundum divinitatem firmat Deitatis æternitas, et quod Filio virginis et Ecclesie gratia communicavit ex tempore. Nulla ergo invidia est, Ecclesiam reginam, et celorum etiam reginam appellari, cum Psalmista filios ejus deos et Dei filios consideranter appellat. *Ego, inquit, dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal. LXXI.*). Ita, domini et Patres mei, sicut diximus, multitudine nominum multitudo charitatis exprimitur, et ipsorum diversitate sacramentorum quoque diversitas assignatur. Hanc igitur tam præclaram, tam acceptabilem sibi electus electam, dilectus dilectam, sponsus sponsam, rex reginam, Christus Ecclesiam fidei vestre eredit, prudentiae commendavit, ut scilicet ad curam et custodiam ejus, cum timore

A noniniis ejus, omnem diligentiam, omnem sollicitudinem impendatis, quatenus omne opus ejus studio vestro, quantum vobis possibile fuerit, dirigatur in bonum, et ipsa integra et illæsa sub vestra discussione, et Christi protectione consistat. Ad hoc siquidem fides et prudentia procuratoris inquiritur, ut por fidem sua domino servetur utilitas, per prudentiam ingruentes a familia molestiae depellantur (65), ut semper Domino proveniens familiæque proiectus accrescat. Oves Christi sunt, quarum cuin ipse sit Dominus, tamen pastorem se nihilominus prospicit ut suam circa eas et potestatem prædictet et affectum, ut ipsæ ei tanquam Domino in auditu auris obedient, et ipse eas tanquam bonus pastor super aquam refectionis in loco pascuae collocet et conseruet. *Ores, inquit, meæ vocem meam audiunt* (*Joan. x.*). Ecce quod querit ab his quæ suæ sunt tanquam Dominus exaudiri. *Et ego Dominus agnosco eas* (*ibid.*). Ecce quia ipse rependit iis benignum inutile cognitionis et agnitionis affectum. Quanta vero eas charitatis gratia complectatur, facile pretio redēptionis ostenditur, quod ad earum liberationem beneficentia redēptoris impendit. Emptæ enim sunt pretio magno impreiabilis scilicet sanguine crucifixi quem, licet appretiaverit Judas, non potest tamen sub pretiū recidere vilitatem, cui nihil in rebus comparabile, quod omni prælatum creaturæ, quod in Patris est dextra collocatum. Ignorabat homo quænt posset ejus humanitas æstimari, quia, licet de Creatoris imagine similitudinem contraxisset, nulla, sponte tamen, nulla ratione præsumere poterat aut præscire vel incarnationis humilitatem vel amaritudinem passionis. Quippe rerum creatio gloriam quodammodo divinae majestatis illustrat, dum opus admirabile sapientiam declarat opificis et pro ea quæ ab eo visibili facta sunt, sempiterna virtus ejus et diuinitas innotescit. Videbatur sibi fecisse quod fecerat, ut ignotus a sæculis in rationalis naturæ notitiam deveniret, et fieret quasi quoddam cognitionis alterna commercium dum ipse sciret segmentum nostrum et nos aliquatenus intelligeremus diuinæ substantiæ unitatem. Quod autem minoratus est ab angelis (*Hebr. ii.*), quod brevi virginalis uteri thalamo clausus formam nostræ servitutis assumpsit, quod injurias hominum, quod denique dolorem sustinuit passionis, hoc saluti nostra singulariter impensum veritas manifeste declarat ut mors temporalis ipsius ab antiqua damnationis elogio nos solveret et ad vitam revocaret æternam Novi consignatio Testamenti. Ipse namque singulare premium redēptionis est; quod pari benignitate pro singulis et omnibus est oblatum, ut nullus ibi majoris amplitudinem gratiarum, nullus sibi cuiuslibet privilegiū prærogativam valeat arrogare. Uniformitatem creationis secuta est redēptionis æqualitas, ut pariter omnibus proficeret ad futurum prædestinatae retributionis

(65) *Depellantur.* Pro iis quæ hanc vocem sequuntur, habet B. fundatum est, vestro tempore non

solvetur, etc., usque ad. Valeat in Christo sanctitas vestra, quæ sunt epistolæ 3, ad Coelestinum papam.

eventum. Poterat enim superbis vel invidis præstare materiam, si aliquos amplior indulgentia prætulisset cæteris quasi defectu quodam deterioris essentiae aut minoris misericordiae condemnatis. Itaque si ortum hominis et processum diligenter attendimus, appareat circa eum incomparabilis bonitas conditoris, admirabilis redemptoris charitas, festinabilis gratia Salvatoris. Super quo magnæ dignationis est nobis commissum esse quod tanta bonitate formatum est: quod tanta servatum charitate, quod tanta novissime creditur gloria sublimandum. Porro quanto major dignatio est, tanto stolidus constat esse periculum; quantoque majora studium diligentiae præmia recompensant, tanto major negligencie vindicta procedit. Sicut enim retributor bonorum, ita Deus ultionum Dominus est (*Psalm. xcii*), apud quem sicut nihil irremuneratum dimittitur, ita nihil relinquitur impunitum. Beati itaque servi illi, quorum cum venerit Dominus, fides et prudentia complacabit. Super omnia siquidem bona sua, super ea scilicet, quæ præparavit Dominus diligentibus se constituet eos. Nihil reservabit absconditum, sed velut effusa in omnes munificientia largietur divitias gloriæ suæ, coelestium videlicet plenitudinem gaudiorum, regnique cœlestis cohæredes admittet, ut de manu ejus diadema speciei recipient, qua speciosi facti eum qui speciosus est forma præ filiis hominum (*Psalm. xliv*), in decore suo revelata facie contemplentur et delectentur in multitudine pacis, præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui est honor et imperium (*1 Tim. vi*) in secula seculorum.

IV.

TERMO IN ANNUNTIATIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIAE (64).

Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsalem Joseph (*Lxxc. i*). Quod ab æterno prædestinatum fuerat, quod ab antiquo per multa prophetarum oracula repromissum, tandem, fratres charissimi, die ista divina gratia cœpit operante compleri. Siquidem ab æterno Deus Pater Unigenitum suum in causam redemptoris humanæ decreverat incarnari, ut mysterio scilicet incarnationis ejus vetus Satanæ solveretur astutia, et humilitatis dignatione potestas ejus ac superbia frangeretur. Quod fortassis ab initio nec etiam fuerat angelis indicatum. Sed intra secretum divinæ bonitatis magnitudo consilii regebatur abscondita donec conscientia secreti nuntius mitteretur, qui indulgentia generi humano libertatis beneficia nuntiaret. *Missus est itaque angelus Gabriel divinorum factus conscientia secretorum, tanquam fidelis divinæ voluntatis interpres et ut quodammodo proprii nominis interpretationem adimplens, fortitudinem Dei in inscrimata carnis prædicaret assumpturam.* Si igitur ipsum promissæ salutationis inspiciamus alloquium, recte

A nuntius salutis verba proponit, qui ad salutem omnium nuntiadam, tollendamque perniciem mittatur. Virgo autem prima verbum salutis accepit et affectum, quia humilem statum révelatis per angelum omnibus fidem præstít et assensum. Unde nimur ab originali et ceteris, si qua erant actualia; penitus emundata est, ut nulla penes eam poccata corruptio nulla corruptionis concupiscentia residere. Talem enim sibi virginis humanitatem divina magnificientia præparavit, qdalem de ipsa disponebat assumere, ut scilicet primæ creationis dignitate recepta, incorrupte posset uniri divinitas incorrupta naturæ. Unde etiam recte gratia plena potuit appellari quæ primo plenitudinem proprie sanctificationis accepit; et singulare statim privilegio potuit exultare, ut scilicet mater esset et virgo et in ipsa placentem contraria sortirentur eventum. Neque enim alibi vel virginitatem secunditas vel secunditatem simplicitas virginitatis agnoverat; nullaque invicem communione, nulloque unquam fœdere jungébantur. Porro utramque bonam esse, utramque constat esse laudabilem, sed in aliis majus est virginis privilegium castitatis. In Maria excellentior est virginitate secunditas, si recte secunditatis fructus et virginitatis merita comparentur. Siquidem fructus iste de jurata David a Domino veritate procedens super sedem ejus positus est, super solium scilicet ipsius et regnum jure perpetuo constitutus; ut de sacramentorum efficacia firmitas, et robur de virtutum sanctificatione concrescat. Cujus sane fructus et germen in magnificientiam et gloriam adjuncte sibi divinitatis excrescens omni fæcta est terrena plasmatione sublimius, adeo ut nihil eo sit vel potestate fortius, vel excellentius dignitate. Inde est quod in Maria contrahit secunditatis honor de ipsa fructus sui qualitate substantiam; ubi nulla quarumlibet virtutum dispendia sed augmenta concurrunt; sed in aliis detrimentum virginitatis sobolis beneficio restauratur et virginitatis amissæ gloriam susceptæ prolis gaudia recompensant. In aliis enim de preventus qualitate recipiunt præcedentia detimento solatium, ubi, quæ secunda est, pressura remedium et optatae sobolis percipit incrementum. Virgo autem quæ carnales animo simul et corpore declinat illecebras et sedulo vim concupiscentiæ pudore contundit, quanto magis a semetipsa per gratiam continentiae deficit, tanto magis proficit ad mercedem. Habent igitur secundæ quod debeant, habet virgo quod speret, dum iis in gratiarum actiones virginitatis merita transeunt, et ei semper ad præmium eadem virginitatis merita convalescant. Virginis autem nostræ nullum intulit partus aut conceptio detrimentum, sed tanto majoris fastigium honoris adæpta est, quanto mirabiliori est conceptu concecra. Occurrent itaque in ea sibi invicem quasi quibusdam virginitas secunditasque complexibus, ut secunditatem virginitatis gloria redimat et virginita-

(64) Deest in editis.

tom fructus secunditatis attollat. Secunditas igitur Ipsius multis est veneranda miraculis, multis utilitatibus amplectenda, multis illustrata laudibus, in qua sic humilitati sublimitas deitatis occurrit, ut nec iufrmitas opprimatur a gloria nec majestas aliqua ex parte propria dignitate privetur. Profecto in aliis tanto major est secunditate virginitas quanto minor est integritate corruptio, quia secunditatem voluptas quedam improbata praecedit quam sine culpa esse commercium carnale non patitur, nec affectuose corruptiarum carnium passiones. Unde se conceptum in peccatis Psalmista commemorat quia in ipso utrobius peccatum de corrupta traducebatur origine, somitemque peccati procedens de veteri corruptione concupiscentia ministrabat. At vero in Mariæ secunditate sola etiam est operata divinitas. Dum virginem virtus obumbrat Altissimi, et supervenientis spiritus carnis et verbi consecrat unitatem (Luc. 1). In quo non potuit de non vitiioso vitium provenire, nec auctor virtutum auferre debuit, sed afferre virtutes. Ideoque propositæ castitatis privilegium singulare non abstulit, sed honorem secunditatis adjectit. Novam itaque sobolem pudor virginis agnoscit, carnemque miratur natura spiritu secundari, legemque propagationis humanæ penitus immutatam, cum ibi sit nec de voluptate conceptio nec prolixis emissio cum dolore. Siquidem Deus de Deo semper caro de commissione carnis nascebatur ex tempore: nunc Deus in hominem homo in Deum sola spiritus operatione formatur. Mirum hoc solique divinæ majestati possibile ut quamlibet humanitas et divinitas caro hæc scilicet spiritus ille concipient unitatem: quod impossibilis passibilem, quod æternus se nobis exhibeat temporalem, quod eum corporalibus oculis liceat intueri, cuius excellentiam colestium civium spirituales oculi non attingunt. Quod sane fides nostra necessio est ut seniori concipiatur intellectu nec substantiarum quidem, sed personæ praedicit unitatem, nec alteram in alteram transiisse; facta qualibet modo confusione vel commissione credamus. Verbum enim in æterna semper propriæ divinitatis simplicitate consistens, nec alterius est admisitione compositum, nec in aliud sibi sibi abolitione transfusum, sed substantiis in se permanentibus pariter et naturis. Christus ut gigas incomparabili virtute præcellens, gratuitam viam nostræ mortalitatis alacritate cœcurrit. Igitur ad propositum divinæ prædestinationis effectui mancipandum angelus destinatus ad virginem qui dilatum usque adhuc divinæ voluntatis hodie patescit arcuum, quod sicut æternaliter a tota Trinitate præsumum est, ita nihilominus a tota Trinitate nuntiat adimplendum; ait enim: *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei* (*ibid.*). Itaque vim verborum et ordinem studiosa consideratione pensemus, quia scilicet primo *Spiritus sanctus supervenienturus nuntiat in virgine, etiamque postmodum Altissimi, id est Patris virtute*

PATROL. CCI.

A proponitur obumbranda; ut ita virginis preparato conceptu, segregata ex utero ejus, sed in ueste carne ineffabilis novissime filii generatio prove-niret.

Vides hic Angeum manifeste totius Trinitatis expressisse præsentiam, dum supervenire spiritus Altissimi et obumbrare, filius vero dicitur incarnari. Liquet igitur totius Trinitatis opus esse quod factum est, licet unus tantum fuerit incarnatus, e tota Trinitate scilicet unus tactum, totius ad id divinitatis exhibuit substantiam, uno tamen propositum redemp-tionis humanæ ministerium personaliter exhibente. Igitur æternæ generationis generatio temporalis accessit, et æternæ nativitati nihilominus temporalis est adjecta nativitas; ut quod æternum est, in sua B consisteret æternitate perfectum; quod vero tempora-le est, perfectionis suæ statum, non tam de natura quam de miraculo sortiretur. Siquidem personam hominis ex duorum hominum commissione prove-nire necesse est, hic vero unius hominis tantum simplici præcedente substantia, nova soboles profliscitur et formatur; qua scilicet humanitate per-cepta, sic humilitati nostræ excellentia divinæ ma-jestatis infusa est, ut præente mirabilis carnis Verbi commercio totum dicatur homo, totum dicatur Deus, alterumque de altero nova quadam enuntiationis specie prædicetur; siquidem enuntiatio hæc unio-ne, non essentiam prædicat aut naturam, nec alter utrum in altero, vel substantiam in substantia co-sistere ratio, vel natura consentit; sed personalem ineffabilem quedam quasi consolidatio conficit unitatem. Neque enim carnis essentia in Verbi transivit essentiam, neque Verbum carnis passiones assum-sit; sed utique proprietates suas semper attribuit imperniistarum discrecio naturarum.

C Si igitur Verbum carnem factum esse evangelica tibi dictat auctoritas, factum nihil aliud intelligas, quam unitum, neque banc tibi confusio, vel per-misio constituat unitatem; sed singulas semper in se consistentes debita aestimatione venerare substan-tias, unamque tibi ipsamque singularem proponas de tam diversorum pluralitate personam. Unde si de Christo, Deo scilicet et homine, modo humanum, modo divinum aliiquid audias, prædicari intelligas, non ex eadem causa procedere, sed ad diversas utrumque predicamentum respicere rationes. Quod enim modo Omnipotens, modo Creator omnium di-citur, modo unigenitus Patris Filius ab æterno, id eum ex divinitatis constat habere substantiam: quod vero natus ex muliere, factus sub lege, quod igno-miniam crucis, quod amaritudinem sustulit passio-nis; id ex humanitatis processisse natura, nullus est qui dubitet. Porro si personæ utramque substan-tiam complectenti, quod specialiter unius est, toti personæ videris attributum, scias ratione assump-tionis, toti convenire personæ, nec tamen passiones corporis divinitati, vel humanitati divinam tribuas majestatem. Quippe quod de virgine nascitum dicit Angelus, *Filium Dei nuntiat appellandum*

6

quamvis et ex eo quod de virgine est, non possit **A** hæc appellatio convenire; sed divina bonitas non voluit nominis detrahere dignitatem, cui communicaudum destinaverat ejusdem substantia veritatem.

Ad quod sane post multa tempora novissime consummandum, ad expertem omnis concupiscentia destinatur, cujus denuntiatione votum perpetua virginitatis firmatum est potius quam sublatum, cum virum ejus Angelus ad similem formasset assensu. Nullaque hinc vel inde carnalis commercii residet affectio, sed ad custodiam et obsequium virginitatis et virginis se congaudet fidelis viri devotione pæleclam. Igitur ad preparatum sibi prudenter a Spiritu sancto conjugium, securu voti Virgo sancta procedit, et sacri animorum potius quam corporum fuderantur amplexus. Sane in contrahendis ab initio sponsalibus alia viri fuerat fortassis intentio; sed edictus ab Angelo, statim totus ad perfectæ continentiae transivit effectum, ut animi eorum pari invicem similitudine responderent, ne quasi dissidium facere videretur diversarum dissentio voluntatum. Nemo itaque dixerit sublata, sed subsecuto conjugio consummata sponsalia, nec aliquid sacramento propositi sanctitate detractum est, sed eos ad maritalem copulam individua vita consuetudo condixit. Porro si nec opus intercessit carnalis commercii, nec voluntas, nihilominus tamen constat esse conjugium, quia contractus filie non trahit de carnis commissione substantiam, sed de sola legitime consentientium voluntate.

Si igitur ad hoc neque concupiscentia, neque carnales requiruntur amplexus, atque intercessisse constat quidquid ad conjugii desideratur effectum; manifestum est veros conjuges existisse, ut ille recte [vir] et illa conjux debeat appellari. Quod si dicatur non posse matrimonium contrahi nisi communicato copulae carnalis assensu, ne requisitum alteri negare possit accessum: verum quidem si ea convenient voluntate, et præoptata futurae sobolis pignora contemplantur. Si vero conditioni huic renuntiare vel amore castitatis, vel impotentia qualibet obstante decreverint, legemque matrimonii in aliis omnibus constituant observare, individua vita consuetudo, et dispositum alternæ potestatis obsequium affectati contractatus format substantiam, perpetuamque firmat sacri consortii fides et gratia veritatem. Quæ etenim ratio assensum hunc commodare compellebat invito, cui perpetua virginis

A complacebat integritas, volumque erat ipsius, quod in ea natura erat, perpetuae continentiae sanctimonia venerari? Quod si a minoribus ad majora trahatur exemplum, aliquid fortassis expressæ similitudinis in Cæcilia virgine poterit inveniri, quæ cum familiari voto perpetuae virginitatis munus velut holocaustum quoddam Domino consecrasset, cum Tiburtio tamen amicorum interventu contrahere minime recusavit, fiduciaria habens in Domino, quod divina devotam in ea pudicitiam sapientia conservaret, et humiliter parentum desideriis acquievisce Cæcilia videretur. Cantantibus organis igitur dum juvenis pædestinatus ad vitam: ad nuptiales festinal amplexus, et ad optatum thori virginalis anhelat ascensum, illa procedentibus de conscientia voli suspiriis et precibus implorabat a Domino, ne ad confusione spiritus et corporis ipsius macula quælibet concupiscentia carnalis obreperet, sed corpus prorsus intactum sincero spiritui conservaret. Cum eo itaque quasi transactione quadam virgo prudens sic amicabili compositione convenit, ut ipsum asseruerit sibi in eamdem conservandæ pudicitæ voluntatem, et purificatum aqua baptismatis postmodum perduxerit ad lauream gloriosi martyrii triumphalem. Quis ergo dicat non intercessisse conjugium, si eis a carnali placuit abstinere contactu, cum multis usu frequenti videamus in matrimonio convenire, quibus vel niwia senectus, vel debilitas aliqua commercii illius spem omnem abstulit et effectum. Certeum est autem de rei substantia non esse, quod velut accidentale aliquid et adesse potest pariter et abesse, sanciusque et sincerius observatur conjugium absque eo quod sine culpa esse non potest, nisi per bonum conjugii fuerit excusatum. Profecto cur non saltem simile casus et voluntatis privilegium erit, ut eodem fungi concedantur effectu, cum necessitate impotentia constringantur invititi, voluntatem vero devotionis affectio et zelus sanctitatis informet. Quibus omnibus manifestum est Angelum recte virginem appellare potuisse, conjugemque Joseph, nullum prorsus voto virginitatis viro volenti vim vel injuriaue irrogante; sed studium semper cum omni diligentia sedulus impendebat, ut suscepti ministerii munus laudabiliter similis et devotus impleret, docente eum frequenti angelorum commonitione, et omne opus sanctæ sedulitatis dirigente semper in bonum Spiritu sancto, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

C**D**